



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridivm Chronologicvm Sacræ Et Prophanæ Historiæ

Salian, Jacques

Coloniæ Agrippinæ, 1638

Capvt VII. Altera regendæ Chronologiæ regula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64957)

ad Chronologiam.

anno patris sui 130. quippe qui moriente patre, anno vitæ 205. septuaginta quinque erat annorum, quod utrumque est, ex ipsa Geneseos affirmatione, perspicuum. Quod si qua dubitatio in sacro textu nascatur, ea vel ex alio eiusdem loco, si quis occurrat, vel ex sanctorum Patrum interpretatione, vel ex recta ratione expedienda est. Ut in hoc ipso exortu Abrahæ. Scriptura enim, quæ ait Thare fuisse 70. annorum, cum genuit Abram, Nachor, & Aram, non pugnat cum ijs, quæ paulo ante ex ea protulimus, sed ita intelligenda est, ut duntaxat affirmet Thare non genuisse tres illos filios ante septuagesimum annum, sed deinceps. Sic enim paulo ante dixerat, Noë cum quingentorum esset annorum, genuisse Sem, Cham, & Iapheth, id est, non prius, sed ab anno quingentesimo.

Ca. 11. 32.

Ca. 12. 4.

Gen. 11. 26

Gen. 5. 31.

CAPVT VII.

*Altera regenda Chronologia
regula.*

Altera regula est Humanum testimonium, vel scripto vel verbo traditum: quod tanto firmitus est,
ac

Introductio

ac maioris momenti, quanto testis maioris est fidei, atque autoritatis; præsertim si res à se visas, perspectas, expertasque prodat: aut quanto res plurium asseueratione firmatur. Etsi enim alium ab alio accepisse non imprudenter dici potest, quanquam potest etiam non accepisse, posteriores tamen prioribus iudicij sui atque sententiæ suffragium, quasi pedarij senatores non inuiti protulerunt. Illud quoque plurimum valet in hoc testimonio, si autor eius non solum res scire potuerit, sed voluerit etiam non discedere à veritate. Sunt enim plerique quorum testimonium à beneuolentia, timore, odio aliõve affectu potius, quam à veritate expressum est, quibus illud occini potest,

*Dum laudat ciues, dum damnat
Pogius hostes,*

*Nec malus est ciuis, nec bonus hi-
storicus,*

Qualis est in Historia Tiberij Velleius Paterculus, in Iudaica Iosephus, in Constantiniana aut Iulianica Zozimus. Qualis in Paulo II. Platina, aut in tota Historia Ecclesiastica Magdeburgenses, quos Christianæ ac Catholicæ religionis odium in transversum egit, & vnica Centurias scribendi causa fuit. Ac

Ad Chronologiam.

Ac ne illa quidem testimonia, quæ à primis autoribus, atque antiquissimis afferuntur, certissimam faciunt atque indubitatam fidem; sunt enim qui ipsa antiquitate vacillant, ut Enoch ab Adamo septimi scripta, ut Berossi, & eorum quos Annii Viterbiensis excitavit ab inferis. Denique qui antiquissima illa posterius scripsere, se *mutixâ*, scribere non distentur.

Diodorus
Siculus

Ac ne recentissima quidem pro certissimis semper habenda sunt. Quam multa enim quotidie pro veris nuntiantur, quæ postmodum incerta; deinde falsa etiam deprehenduntur. Nimirum tempore ipso illustrantur omnia: ut non immeritò veritas filia Temporis olim dicta videatur. *Ficta enim omnia, ut ait, Tullius, celeriter tanquam flosculi decidunt, nec simulatum quidquam potest esse diuturnum.* Ex quo intelligitur posteriora pro veritate suffragia, prioribus nihil admodum cedere.

2. Offic.

Caput